

Dissertatio V.

30

se de essentia ; aliud est esse essentiam ; ut nuper diximus .

VI. Opponit P. Saguens tom. I. theol. disp. I. art. 6. assert. unica . Quævis demonstratio , ut vere sit talis , procedere debet eo universali modo , ut in omnium mentibus sit inclutibilis ; sic non procedit Cartesii demonstratio : ergo non est vera demonstratio . Probat minorem . Demonstratio Cartesii est inclutibilis tantum illis mentibus , quæ clare , & distincte percipiunt existentiam actualiem comprehendendi in idea Dei ; at qui non omnes hoc percipiunt ergo demonstratio Cartesii non est universalis pro omnibus : ergo non est vera demonstratio . Alia argumenta proponit contra hanc eandem Cartesii demonstrationem P. Saguens , qui & ulterius afferit , eam Cartesium a S. Anselmo mutuasse . Laudat nihilominus præstantissimum Philosophum , etiam verbis acerrimi Censoris sui , Illustrissimi Huetii , quod eam nova methodo expositam clariorem fecerit , atque præstantiorem .

Respondemus pro Cartesio , non esse opus , ut demonstrationes sint demonstrationes , quod ab omnibus mentibus percipiuntur , intelligentur , & admittantur . Sunt enim in mundo mentes , non solum rudes , quæ non intelligunt , sed etiam pertinaces , quæ intelligere nolunt . Et si ex his una , aut altera aliter concipit ideam Dei , non equidem ipsa concipit Deum , sed aliud , quod Deum esse fingit . Omnes quidem mentes , quæ recta ratione discurrunt , quæ non præcipitanter , obstinate , & pertinaciter considerant , dum Deum percipiunt , omnes perfectiones in Deo debent cognoscere , adeoque existentiam , quæ est omnium perfectionum prima , saltem ordine . Hoc clare , & distincte percipiunt , si clare , & distincte , nostro modo percipiunt Deum ; quod si non percipiunt , vel quia nolunt , vel quia nesciunt , non per hoc demonstratio definit esse demonstratio ; quod quidem in omnibus demonstrationibus habere locum nemo non videt . Cæterum S. Anselmum in hujus demonstrationis inventione Cartesio prævisse , non est dedecus Cartesio , sed laus ; dedecus est , si non Ecclesiæ Doctor , alicuius sectæ Minister ante ipsum errorem aliquem præfigurasset . Quod Cartesius de S. Anselmo nec verbum faciat , hoc indicat , quod potuit Cartesii mens cum S. Anselmi mente coincidere , at non potuerunt Cartesii oculi cum S. Anselmi operibus se conjungere . Sicut enim facile est , quod ingenia in cogitationis suis se uniforment , ita possibile est quoque , quod

singuli homines omnium hominum voluntaria non evolvant . Alia P. Saguens argumenta contra Cartesii demonstrationem ad trutinam non revocamus ; illi enim hanc provinciam relinquimus , qui Cartesii discipuli , & sectatores , ad decus etiam , appellantur .

VII. Opponunt contra P. Magnani Demonstrationem . Per P. Magnanum existentia Dei demonstratur per Dei possibilitatem ; sed possibilis non est causa , neque radix , existentia : ergo nequit per Dei possibilitatem Dei existentia probari . Minor probatur . Idem non est radix , neque causa , sui ipsius ; sed ex parte objecti idem est formissime possibile esse , & etsi existens : ergo possibilis non est causa , neque radix , existentia .

Respondemus , possibiliter non esse causam , neque radicem , existentiae in entibus contingentibus , non vero in entibus necessariis . Possibilitas enim est præscindens a possibiliitate entis necessarii , & a possibiliitate entis contingentis . Quando vero concretatur in ente necessario , existentiam importat ; quam quidem non importat , quando concretatur cum ente contingent . Ex animalitate præcisa a rationalitate , & irrationalitate , non probatur risivitas ; at ex animalitate cum rationalitate concreta utique demonstratur . Unde nemo potest dicere ; est animal : ergo est risivum . Bene tamen dicit ; est animal rationalis : ergo est risivum . Sic pariter in casu nostro ; nemo dicit ; est possibile : ergo est existens ; quia contingens etiam est possibile , & tamen non existit ; ut alter mundus . Bene vero dicit ; ens necessarium est possibile : ergo est existens ; quia non repugnantia ex una parte ad essendum , per possibiliterem importata , & necessitas essendi ex altera parte , hoc ipso , quod ens necessarium non repugnat , omnino faciunt , quod existat . Et tamen possibilis non est ipsam existentia , quia aliter ita esset etiam in ente contingenti ; talis quidem possibilis , scilicet entis necessarii hoc importat ; sed non importat , quia solum possibile , sed quia , possibile , & necessarium .

VIII. Arguit Adversarius , seu potius respondent impugnando demonstrationes quasi a priori , pro Dei existentia , a nobis in hac Dissertatione propositas . Primo dicunt , per illas probari dumtaxat existentiam formalem Dei , non vero objectivam , & realem ; scilicet , quod Deus non possit concipi sine existentia , non autem , quod a parte rei habeat existentiam ; quod esset probandum .